

spicias, sicut ipsa singulis momentis omnia simul (quodvis in eâdem materiâ pariter & formâ) directè restituit, hoc est, *denuò*, quod est *de novo*, facit ut sit, quod vulgo *conseruare* dicimus; ita velut in transuersum procedens natura naturans quidvis; ex quouis eâdem facilitate facere potest. Quæ potentia, si procedat ordinariè, similiter, & solitè; dicitur *ordinaria*, cui pro conceptu tantùm objectivo respondet in rebus ita mobilibus (certis respectu certæ formæ) limitata potentia passiva, quam vulgo dicimus *Subjectivam*: si procedat extraordinariè, dissimiliter ac aliàs, non solitè; dicitur *extraordinaria*, cui pro conceptu tantùm objectivo distincto respondet in rebus ita mobilibus omnibus illimitata Potentia passiva, quæ vulgò dicitur *Obedientialis*.

§. 8. *Gradus indistinctionis ad extra* sunt, qui spectantur in corpore quatenus concipitur ut unum ex certo genere, breviter, ut *GENUS*. Est autem *Genus* vel *summum* vel *subalternum*. *Genus summum* subdividitur potest in *Genus primò summum*, & *Genus deinceps summum*. *Primò summum Genus* in ipso corpore spectatum, l. conceptus primò summè genericus corporis, est simpliciter omnimodè indistinctus corporis conceptus (adeoque *Materia primò prima*) sed relativus ad extera quævis Entia, quatenus omnia inter se sunt similia, nempe conceptus, quo corpus se sistit ut *subjectum aliquod* cogitabile, seu tanquam *unum quid, quod*, æquè ac res aliqua quæcunque, nobis proponi potest, ut *subjectum, quod* certo modo, seu verò seu saltem imaginario, se habere cognoscendum est. Quod si corpus, ut unum quid, cum omnibus aliis subjectis, similiter ut unis, ita discretè, sed distributivè, simul sumas, habes numerum illum abstractissimum, omnium nempe rerum omninò; quem si simul unâ tantùm Ideâ (quæ sit ab omnibus abstracta) velut extra res omnes in mente seorsim formatâ referas, habes *Genus illud primò summum* velut extra res omnes omninò, de quibus cogitari potest, spectatum, quo representantur omnes res ad minimum eæteris inter se similes & æquales, ut æquè numerari, vel aliàs ad cognoscendum æquè proponi, possint. Estque adeò *Genus illud primò summum extra corpus, & extra res omnes in mente nostra spectatum universale primum, τὸ ὈΝΟΜΟΝΟΤΟΝ* dictum, quod omnia sub ambitu suo continet.

*Genus*